

Devota mea officia dicas Illustrissimo Reaumurio et fratri tuo medicorum parenti et principi, nec non salutes plurimum D^m Laserre et dulcissimæ meæ Bassaport. Ter vale.

BOTANICO SUMMO

DD. BERNH. DE JUSSIEU,

BENEFACTORI SUMMO,

S. PL. D.

CAR: LINNÆUS.

MISISTI ad me primo vere, pro amicitîâ tuâ in me maximâ, egregium thesaurum seminum rariorum, recentiorum et selectissimorum; pro quibus grates nunquam sufficientes rependere valeo; ut autem intelligas quo modo messis mea successerit, hanc rationem tibi reddam.

Progerminarunt mihi e Tuis sequentes plantæ:

Fagonia; *sed quæ nunquam apud me semina tulit, licet aliquoties floruerit.*

Chicorium creticum spinosum. Egregie crescit; proximo florebit die.

Coris cærulea *floruit.*

Chamæpithys fol. serratis *floruit.*

Frankenia marit. quadrifolia. *Egregie floruit nondum.*

Asperula verticillata luteola. *Eximia planta nunquam mihi visa egregie floruit; an Sherardia?*

Centaurium capite Pini *enatum, sed multoties antea et semper hyeme periit.*

Sinapi siliquis ad ramos adpressis. *Myagrum.*

Eruca hispanica sativæ similis. *Habui hanc unicam antea.*

Astragalus ægyptius. *Floruit et semina dedit.*

Absinthium maderaspatanum: *rarissima planta adhuc floret.*

Dodonæa. *Plurimæ plantæ nobis enatæ sunt; quot quæso ipsi stamina? forte Ptelea.*

Nagacpu Hort. Mal. etc. *Blattaria Zeilanica Hort. Amstel. Floruit sed non dedit semina; est absolute Pentapetis species.*

Adansonia seu Bahobab. *Retinebo nomen; utinam scirem characterem.*

Sophora tomentosa. *Crescit bene.*

Licium e Sina. *Crescit.*

Solanum foliis quernis. *Nondum floruit.*

Echinopus. *Propediem florebit.*